



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

488. An, & qualiter audiendus oppositor, qui venit post terminum in edicto statutum, & confirmationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

citato pro hoc Lott. l. 2. q. 13. n. 47. & Rota decis. 353. n. 6. l. 3. p. 3. *diversar.* & decis. 624. n. 10. p. 1. recent. quod debeat legitime constare non solum de lectione & affixione dictorum edictorum; sed etiam de reflexione, & sic, quod lecta fuerint, & ibi relicta per congruum temporis spatium, quin &, ut pariter addit, citato pro hoc Put. decis. 5. l. 3. de hac publicatione non stetur simplici assertioni Notarii sine testibus) Laym. in c. fin. de elect. in 6. Pirh. ad tit. de elect. n. 321. juxta expressum textum cit. cap. fin. Cujus decretalis etiam hanc rationem addunt Laym. & Pirh. citatis pro hoc Abb. in c. exhibita. de judic. n. 5. Felin. *ibid.* n. 2. nempe quod quando per edictum vocandi sunt ii, quorum interest, nominatim & speciatim vocandi sunt, si personae sint certae, vel noscantur; si vero sint incertae, vel non noscantur, per edictum generale sint citandi.

3. Neque contrarium huic decretali tradit Pass. dum cit. c. 33. de elect. n. 90. ait, in probatione idoneitatis electi necessariam non esse citationem alicujus, aut vocationem partis, etiam ubi adest intrusus vel contradictor, & confirmator procedit extrajudicialiter. Aliud enim est, eam citationem necessariam non esse ad probandam idoneitatem electi, aliud non esse necessariam ad consulendum interesse oppositorum, vel coelecti.

4. Porro hanc constitutionem extendere se quoque ad admissionem postulationis, & institutionem faciendam post praesentationem ob paritatem rationis, ne scilicet supplantentur ii, seu fraude circumveniantur, qui volunt opponere vel objicere aliquid contra postulatum vel praesentatum propter suam interesse, tradit Pirh. loc. cit. num. 322. citato Garc. p. 9. c. 4. n. 1. & Gl. in cit. c. fin. v. electio, uti idem quod ad institutionem fuisse tradit Lott. l. 2. q. 13. a. num. 20. uti &, quem Lott. citat, Lamb. de jurep. l. 2. p. 2. q. 6. per tot. Non tamen extendit se hac constitutio ad collationem liberam beneficiorum, utpote quae simul vim electionis & confirmationis habet, & per quam confertur jus in re, & in qua dicta citatio fieri non potest: non ante illam; quia sic fieret ante omne jus quaesitum; non post illam; quia jam plenum jus quaesitum collatio. Pirh. cit. n. 322. in fine. citans Vivian. in ration. juris pontif. in cit. c. fin. Neque etiam hac decretalis, seu citatio locum habet, quando a Papa ejusve legato petenda confirmatio. Pirh. loc. cit. citans Barbos. in collect. ad cit. c. fin. n. 4. & 5.

Questio 488. An, & qualiter audiendus oppositor, qui venit post terminum in edicto statutum, & confirmationem?

1. Respondeo primo: si quis termino illo elapso & post secutam confirmationem venerit, electionem ejusque confirmationem oppugnaturus, audiendus non est, nisi forte absens fuerit; vel etsi praesens fuerit, aut non longe distans, probabilem tamen edicti ignorantiam per verisimiles conjecturas allegare possit, eamque juramento confirmet. Laym. in cit. c. fin. n. 2. Pirh. n. 322.

2. Respondeo secundo: dum quis non per viam exceptionis (quippe electus per confirmationem jus plenum in beneficio accepit) sed denunciationis canonicae opponit quid contra electum, ne indignus & inhabilis Ecclesiae praeficiatur, regulariter seu ordinarie audiendus est, etiam post confirmationem, imò & consecrationem. Laym. & Pirh. loc. cit. citantes Abb. in c. nihil. de elect. in 6.

Questio 489. An necessario citandus electus, ubi ejus cassanda electio?

1. Respondeo primo: dum ex defectu electionis cassanda est electio, neque electus, neque ullus alius citandus est, dum confirmator procedit extrajudicialiter, & nullus est oppositor, contradicens, vel coelectus. Siquidem Electores, imò & ipse electus sunt a jure citati, cum ad confirmatorem transmittere debeant decretum electionis, totum processum electionis continens, & confirmatoris sit, ex transmissis judicare, an electio subsistat, nec ne. Pass. cit. c. 33. n. 150.

2. Respondeo secundo: ubi cassanda est electio ex defectu electi, citandus necessarius est electus. Pass. num. 152. citans Rodriq. p. 2. q. 52. a. 12. ad 1. Portell. p. 2. cas. 4. n. 3. Peyr. in formul. lit. c. c. 18. n. 7. in fine. Barb. l. 2. voto 35. n. 15. num. 22. Valenzvel. conf. 44. n. 6. tom. 1. Salgad. de protect. regia. p. 2. n. 54. Mirand. tom. 2. q. 23. n. 22. cum enir agitur de gravi alicujus praedicio, non potest contra illum non citatum & non auditum proferri aliqua sententia. Pass. cit. n. 152. citans Menoch. conf. 96. n. 15. Valenzvel. conf. 14. n. 5. Arguimento cap. 1. de caus. poss. ubi ait Papa: nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Jam vero agendo de cassatione electi ob ejus defectum; agitur de gravissimo ejus praedicio: siquidem cassatio electionis ob defectum electi non solum privat electum jure, quod aliis habebat ad praelaturam vi electionis, sed & reddit omnino ineligibilem, non ad eam solum, sed ad quamcumque aliam Ecclesiam, juxta c. super eo. de elect. ut Mirand. loc. cit. q. 22. num. 11. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 21. n. 4. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Castell. de elect. c. 14. num. 56. Barbos. loc. cit. & apud Pass. n. 151. adeoque remanet infamia ex hac sua repulsa infamia facti, & inhabilis ad praelaturas, ut Pass. loc. cit. juxta c. testimonium. de testibus. & ibi Gl. v. opinio. & Abb. nu. 13. Est proinde talis cassatio nulla ex defectu citationis ac naturalis defensionis, Pass. loc. cit. citans Vantium de nullitat. ex defect. citation. num. 2. & seq. Burat. decis. 71. juxta l. 1. §. item cum edicto. ff. qua sent. appell. & l. unoquoque. ff. de judic. non obstantibus, quod confirmator procedat extrajudicialiter, seu sine figura judicii; cum licet eo modo procedendo Judex non teneatur servare solennitates juris positivi in citando & audiendo reum, debeat tamen eum citare; quia citatio ista & defensio est juris natura, & à necessariis jure natura non liberat privilegium procedendi sine strepitu & figura judiciali. Pass. loc. cit. ubi etiam, quod nullitas illa cassationis sit insanabilis & indispensabilis, etiam per supremum principem, pro quo postremo citat Vantium. ubi ante. n. 9. Gregor. decis. 4. §. 6. n. 2. & c.

3. Unde jam, licet ex hac citatione electi, praesertim ubi is in remotis degit, instructioque contra illum processu contingeret cassationes, & consequenter vacationes praelaturarum diutius differri; non tamen ex hac utilitate non differendi vacationem praelaturae sumitur rationalis causa cassandi electionem ex defectu electi, eo non vocato, aut eo defectu plene non probato; nam praeterquam quod in casu, in quo electio redit ad Electores, facilius saepe est & expeditius probare, quantum sufficit defectum, & dare electo terminum brevem ad se defendendum, quam expectare, ut per tempus à jure statutum iterum electores conveniant ad novum praelatum eligendum, quod non caret periculo gravis damni Ecclesiae viduatae & dissensio-